11-4635

(F)/

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/devasculislibell00ba

De vaſculis li-
BELLVS, ADVLESCEN-
tulorum cauſa ex Bayſio decerptus, addita vulgari Latinarum vocum interpretatione.



PARISIIS.
Ex officina Rob. Stephani.
M.D. XXXVI.

CAROLVS STEPHANVS Lectori S.

QVESTI ſunt his diebus apud nos aliquot pueri bonarum literarū deſyderio, quantū ipſi iudicare potuimus, valde affecti, ſe non omnia intelligere quæ in libello Bayfii de vaſculis cōtinerentur: vehementérque cupere, vt quemadmodum ille vir doctus, eruditioribus & bene literatis operam dederat: eadem quoque ratione efficeret, vt iuniores tyrunculi ſaltem aliquid vtilitatis & emolumēti ex eius vigiliis perciperent ac ſentirent. Quod cum ille audiſſet, vt eſt certe incredibili humanitate præditus, & publicæ vtilitatis amantiſs. facile paſſus eſt ſuum libellum in breuem quandam ſummulam contrahi: quēadmodum in re veſtiaria non multis ante diebus factum fuerat in gratiam adoleſcentulorum. Neque enim (vt intelligas Lector) eo eſt vir ingenio, qui ſibi tātum tribuat, vt doctos ſolùm & eruditos amet, puerorum ingeniis nō faueat: cuiuſmodi fortaſſis erunt nonnulli, qui ſuam eruditionem tanquam arcanum quiddam & diuinum videri cupiūt, neque vulgo palàm eſſe: ne forte grauitatis & authoritatis ſuæ iacturam faciant: quaſi verò ſibi tantū & doctis nati eſſent. Illud ſcimus, tantum laudis fœnus non parere ſcriptum aliquod inſigne apud rudes & tyrū-

culos,quantum apud eruditiores & magis literatos adferre ſoleat. Præterea non modicam iacturam docti alicuius nomen facere, ſiquando ſcriptum ſuum temere à quoquã inuertatur, atque immutetur: quinetiam corrumpatur potius, dum ille puerorum ſtudiis bene cõſultum putat. Hoc certe neminem latere puto: & ſunt mea quidem ſententia, plus quàm plagiariorum pœna digni, qui huiuſcemodi furtis delectantur, & ſibi nomẽ ac laborem alienum attribuũt: niſi id quidem ab authore prius impetrarint, atque eius animum ad puerorũ ſtudium inclinarint: quemadmodum ſanè de hoc libello, vt de priore quoque, diligenter à nobis factum eſt. Non enim vir grauis, & Senatoriis negotiis præpeditus, qualis eſt noſter Bayſius, animum ſuum altiora ſubinde cogitantẽ, ad hæc puerilia tam facile demittere potuiſſet. Tantùm hoc, incredibilem eius humanitatem erga adoleſcentulos bonarum literarum deſyderio flagrãtes, teſtatur: quòd eorum cauſa, non permittat ſolùm, ſed etiam alteri negotium committat, vt libellus ſuus puerorum ingeniis aperiatur, & lucidior fiat: atque in compendium redactus, vulgaria vaſculorum nomina illis indicet. Quod factũ ſi quidem tibi placebit lector, eſt vnde Bayſiũ ſemper laudes & ames.

Sũma rei vaſcu-
LARIAE EX BAYFIO.

De vaſis ſignificatione.

INcipiem⁹ ab ipſa vaſis ſignificatione: deinde verò ad vaſorum appellationes ex eorũ differẽtijs ac generibus petitas, certo ordine progrediemur. Sed ne quid lectorem lateat, aut remoretur, admonendus eſt, ea tãtùm Bayfij eſſe, quæ B literam ſubſignatam habebunt: cætera ex varijs authoribus quæſita: ne quid in hac parte ab adoleſcentulis deſyderari poſſit, quod ad vaſculorum genera pertinere exiſtimabunt.

Vas, *ung uaiſſeau*, quod antiqui vaſum dixere, (quo etiã nomine Cato & Plautus vtuntur) id ſignificat quod vel liquorem, vel quidpiã aliud cõtinet in vſum noſtrum: vel etiam quo liquorẽ aliquem haurimus, ſiue haurire ſignificet, *puyſer*. vt Haurire aquam ex puteo: ſiue quod vulgo dicitur, *humer, ou aualler*: vt, -ille impiger hauſit Spumantem pateram. *Il en aualla une pleine taſſee, ſans ſoy faire prier*. Ea verò ratione primum ab hominibus inuentum & excogitatum vas fuiſſe puto, ne manus vaſculorum officio ſemper fungentes, identidem varijs liquoribus inficerẽtur, dum interdũ etiam impuriſſima quæque manibus tractãda ſunt. præterea vſus & vtilitatis gratia: alioqui diuturnũ ignis calorẽ manus perferre cogerẽtur, & in profundiſſimas lacunas demitti, ſiquidẽ

vaſorum vſum ſemper præbere illis neceſſe eſſet.

Vaſculum, *ung vaiſſelet, ung petit vaiſſeau*, vaſis diminutiuum, quo non ſolùm ad diminutionem ſignificandam vtimur: ſed etiam ad ornatum. Græci autem τεύχη καὶ χεύματα vocant, quæ nos vaſa & vaſcula dicimus.

Vaſariũ dicere poſſum⁹ ex Cicerone, *ung buffet*, quod Itali appellant *una credenza*: nempe vaſariã ſupellectilem & gazã, ac diuitias aureas & argenteas, quas principes noſtri in varijs vaſorũ cælaturis collocare ſolent: vt noſtro tẽpore tum demũ opulẽtiſſimus habeatur princeps, cuius menſa innumeris vaſorũ diuitijs ſcatet. Budæ⁹ exactiſſimi ingenij vir, & iudicij admodum expurgati, tertio libro de Aſſe, vaſarium apud Ciceronem pro lege Manilia accipi cõtendit, pro ijs quæ antiquitus publice dabantur magiſtratibus, vt ſunt muli, equi, vaſa, & reliqua quæ magiſtratus inſtrumentum implerẽt. Quod probat ex alio eiuſdem authoris loco, pro lege Agraria. Intelligimus præterea vaſarij nomine pecuniam publice dari ſolitam magiſtratibus euntibus in prouincias, ex qua ſibi neceſſaria compararẽt, quod Auguſti tempore Senatuſconſulto conſtitutũ eſt. Vide Budæum.

Vaſcularius, qui vaſcula argẽtea & aurea facit. Sunt enim inter aurifices, vaſcularij, cælatores, inauratores, & bractearij, *des orbateurs*: id eſt, qui aurum malleis tuſum, & ad quanuis leuitatem ductile rebus inaurandis inducunt. Budæus.

Vaſculorum autem & poculorum ſculpendorum ars à Græcis toreutice dicta eſt, à verbo τορεύω, quod eſt torno conficio. Tornus autem fa-

brile inſtrumentum eſt, quod vulgus vocat, *ung tournouer*. Itaque toreutice ſculpturam, vel, vt aliqui loquuntur, ſcalpturam complectetur. Vnde toreumata, huiuſmodi opera dicuntur, aut ſculpta, aut cælata ex quacunque materia quæ in delicijs habeatur. quo verbo Cicero, Salluſtius, & reliqui vtuntur. Martialis,

Solus Phydiaci toreuma cæli,
Solus Mentoreos habes labores.

Quod autem toreumata torno fierẽt, & ex quacunque materia, id oſtendere videtur locus Virgilij tertia ecloga, -pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis.

Cælum enim, *ung burin*, ferrum eſt ſculptorium, inſtrumentum cælatoris. A quo cælata vaſa dicuntur, in quibus arte ſculptoria deſcripta erant inſignia quædã opera, *uaiſſeaulx ouurez, entaillez, labourez dorfeurerie*. Plin. lib. 34. cap. 7, Duo pocula Calamidis manu cælata æmulatus eſt, vt vix vlla differẽtia eſſet artis. De Zenodoro loquitur, ſcientia fingendi cælandíque nulli veterum poſtpoſito. Budæus tertio de Aſſe, Magnificam æſtimatricem cælaturæ priſcam ætatem fuiſſe oportet, quæ vaſa cælata in ſingulas libras ſenis ſeſtertijs emeret: id eſt, centenis & quinquagenis aureis noſtris. Mirum autem eſt in auro cælando, inclaruiſſe neminem: argento, multos: qua in arte maxime laudatus eſt Mentor, de quo ſuprà diximus: vnde labores Mentoreos vocat Martialis. At vero argentum apud antiquos, hominum ſermone celebratius fuit.

De varijs vaſorum appellationibus.

VAſorum appellationes variæ:aliæ quidem à materia ſumuntur,ex qua conflata & cõfecta ſunt,vt aurea,argentea,ærea, lignea, fictilia,vitrea,cryſtallina,murrhina: aliæ verò ab vſu & vtilitate quam præſtant,vt à potu potoria: aliæ autem ab ijs rebus,quas cõtinere ſolent,nomina accipiũt, vt ab eſcis eſcaria,à vino vinaria: item & aquaria & vinaria: & ab vnguentis, vnguentaria;ſic etiam à promulſide,promulſidiaria: aliæ inſuper à forma,quam referre videntur,vt à modij ſimilitudine,modiolus:& à cymbæ forma, vaſa cymbia: aliæ præterea à quibuſdam locis,in quibus præſtantiora vaſa fiunt, vel è quibus materia adfertur excellentior ad ea conficienda, vt à Delo & ære Deliaco,vaſa Deliaca:à Corintho & ære Corinthio, vaſa Corinthia:eadem quoque ratione Samia & Aretina. Quas omnes differẽtias vnà cum ipſis vaſorum nominibus ſuo ordine deſcribemus. Ac primùm ipſarum differentiarũ genera exequi neceſſe eſt prius,quàm ad ſpecierũ diuiſionem ac declarationem deſcendamus.

Vaſa aurea.

RAram auri mentionem apud antiquos reperiri,& rariorem etiam quàm pro noſtri tẽporis opulentia: quẽadmodum in auro cælando inclaruiſſe paucos,aut neminem,contendit noſter Budæus lib.3.de Aſſe. Itaque vaſis aureis

rarò vſos fuiſſe ipſos veteres compertũ eſt: magis enim argẽto delectabantur. Sed poſteaquam, inquit Plinius lib. 33. cap. 11, Aſia primùm deuicta, luxuria in Italiã immiſſa eſt, aurũ magno in pretio haberi cœpit. Siquidẽ L. Scipio in triumpho tranſtulit vaſorum aureorum pondo c. millia.

Vaſorum autem aureorum vſus apud antiquos præcipuus erat in conuiuijs ſumptus, & honoris ac luxus gratia. inde Cicero conuiuialia vaſa appellat: Multáque (inquit) conuiuialia ex auro & argento vaſa.

Poculum aureum, *une couppe dor*. Plinius ſcribit Philippum regem poculo aureo puluino ſubdito dormire ſolitũ. Cic. in Verrẽ, Tum illa ex patellis & thuribulis, quæ vellerat, ita ſcitè in aureis poculis illigabat, ita aptè in ſcyphis aureis includebat, vt ea ad illam rem nata eſſe diceres. *Que tu euſſes dict, quilz euſſent eſte faictz tous propres a cela.*

Patera aurea, *une taſſe dor*. Virgilius,

-ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.

Hoc eſt, hauſit plenam pateram auream vini. *Il beut tant, que une grande taſſe pouoit tenir.*

Aureus guttus apud Liuium, Argenteo pollubro, & aureo gutto.

Aureis præterea vaſis ventris onus excipiebant ditiores antiqui: quod de Heliogabalo refert Lãpridius. Mart. in Baſſum,

Ventris onus miſero, nec te pudet, excipis auro
Baſſe, bibis vitro. B. Cætera in vaſorum ſpeciebus dicemus.

Vaſa cælata.

VAſa cælata, *uaiſſeaulx entaillez*, in quibus vaſculariorum & cælatorum artificio inſculpebantur varia ſigna & ſimulachra deorum. Plin. lib. 33. cap. 12, Vlyxes & Diomedes erāt in phialæ emblemate. Emblema autē, vt illud obiter tangamus, ætas noſtra non nouit: fitque cum interraſo, vt inquit Plinius, ligno vel marmore: aliud quiddam vel aurum vel argentum vermiculato opere eleganter conſeritur, & aptatur ad variarum rerum effigies. Ita quoque ornabantur vaſa emblematis, dictis ἀπὸ τοῦ ἐμφιβλῆσθαι, quòd vaſis adijcerentur, & reuellerentur, cum libitum erat. Hinc eſt quòd Cicero Verrem criminatur, qui vaſorum Haluntini emblemata reuulſerat, atque adeò pretioſiſſimam eorū partem & toreumata abſterſerat impudentiſſimo latrocinij genere: Sícque, inquit Cicero, Haluntini excuſſis delicijs cum argento puro domum reuertuntur. Itaque emblema, inſertū & inſitum quid in æreo aut argenteo vaſe ſignificat, quod pro ornatu temporario & exemptili ponitur: vulgus paramentum vocat. Videto diligenter Budæum & Bayſium.

Hydriæ præterea argenteæ luxus gratia fieri ſolebant. Cic. 4. Verrinarum, Dicebant ſcyphorum paria complura, hydrias argenteas, &c.

Illigabantur & aureis cruſtis vaſa argentea & cymbia, & alia quæ incruſtata vel cruſtata dicere

poſſumus, *emaillez*: atque ab eiuſmodi cruſtis, cruſtularij dicti, quorum artificio vaſa cruſtulis illigabantur: vnde & incruſtare dicimus. Horat. Syncerum cupimus vas incruſtare. Cæterum vaſa aureis cruſtis illigata, Martialis in ſexto vocat chryſendeta. Dicuntur & lances chryſendetæ ab eodem in apophoretis. Bayfius.

Sigillata quoque vaſa dicebantur, ſigillis quibuſdam ornata, *autour deſquelz eſtoyent de petites imaiges enleuees en boſſe.* vnde ſcyphi ſigillati apud Ciceronem in Verrem. Signa autem ſiue ſigilla, Gręci ἀσάλματα καὶ ἀγάλματια dicunt, ſúntque veluti ſimulachra vel deorũ vel etiam heroũ aut animalium, quibus circunquaque vaſa exornari ſolebant, Græci ἐχιθεῶν vocant. B. Vnde Virgilius, Cymbiáque argento perfecta atque aſpera ſignis. Cymbia ſignis aſpera dixit: hoc eſt ſigillata. Cæterum ſigna illa ab excellentia nomẽ accipiebant: vt ſigna Corinthia, hoc eſt quæ in Corintho fiebant. Plin. lib. 34. cap. 8, Signis quæ vocant Corinthia, plerique in tantum capiuntur, vt ſecum circunferant. Paulo poſt autem ait, Minoribus ſimulachris ſignísque innumera prope artificum multitudo nobilitata eſt.

Vaſa autem pura dixit iurecõſultus, atque adeò ipſe Cicero, pro ijs vaſis quæ cælata nõ ſunt, neque vllis ornamentis decora, quæ vulgus vocat *a plain ouurage.* B.

Vaſa ἀνάγλυφα, *groſſemẽt entaillez*, vocat ea Plinius lib. 33. cap. 11, quæ rudia ſunt, & in aſperitatẽ exciſa ac cælata. Hoc eſt, non leuia, & cælaturis inæqualibus eminentibúſque inciſa: ab ἀνὰ καὶ

γλύφω. Deinde vero ait Plinius, circa linearum picturas vaſa anaglypha curioſius fieri ſólere. Quod intelligendum videtur de ijs vaſis, quæ per commiſſuras lineas, aureas, vel argenteas habent, vt idē author interpretatur. Rudia illa vaſa vulgus vocat, *faictz a la groſſe mode.*

Quod ſupereſt de cælaturis, ex priori capite repetito: tantùm enim hic ordinem obſeruamus.

Vaſa argentea.

VAſa argentea, *uaiſſelle dargent*, in vſu frequentiori erant apud antiquos, quàm aurea. Vilius enim argentum eſt auro, vt inquit Horatiùs. Fiebant autē multis modis. Quinetiam vaſa argento circunclusa ab labris, dixit Iulius Cæſar 6. belli Gallici: Hæc, inquit, ſtudioſè acquiſita, ab labris argento circuncludunt, atque in ampliſſimis epulis pro poculis vtuntur.

Scyphus argenteus, *une couppe dargent.* Plinius refert Lucium Craſſum duos ſcyphos argenteos habuiſſe, Mentoris artificis manu cælatos: confeſſúſque eſt nunquam ſe ijs vti propter verecundiam auſum. erant enim centum ſeſtertiorum pondo: quemadmodum eundem ſex millibus ſeſtertiûm in ſingulas libras vaſa empta habuiſſe refert idem Plinius. Sed de ſcyphis vberius in vaſis vinarijs & potorijs ac poculis dicemus. Cæterum primus Heliogabalus, ſi Lampridio credimus, cacábos argenteos, & menſas ac capſas argēteas priuato vſui habuit.

Lanx argentea, *plat dargent.* Lances centenis libris argenti quingentas numero Romæ fuiſſe conſtat ex Plinio , multóſque ob eas conſcriptos dolo concupiſcentium. De lancibus autem dicemus ſuo loco, cum de eſcarijs vaſis agemus.

Solium argenteum, *une cuue a ſoy lauer.* Mulieres, inquit Plinius, in balneis ſolijs argenteis vtebantur ad luxum, quemadmodum etiam ſcaphijs argenteis. quæ vaſa erant ad lotium excipiendum dedicata: quibus etiam argenteis vtuntur hodie viri Galliarum primarij.

Repoſitorijs argentum addi ſua memoria cœptum referre Feneſtellã ait Plinius lib. 33. cap. 11. Itaque huiuſcemodi repoſitoria argentata, nõ argentea vocabimus: nempe emblematis argenteis ornata & illigata, de quibus infrà dicemus. Quin etiam idem Plinius refert Caluium oratorem ſuo tempore queri, quòd vaſa etiam coquinaria ex argento fierent: ita enim loquitur. Cæterum pateram argenteam, & pocula argẽtea, & crateras argenteos, pro cælaturæ atque operis forma dicere poſſumus : quæ omnia vaſorum genera ſuo ordine à nobis explicabuntur.

Vaſa ærea.

VAſa ærea, ſiue ænea Plinio, & Virgilio ahena, *uaiſſelle darain ou de cuyure,* ab æris nobilitate & excellẽtia nomẽ accepcrũt. Adde quòd ahena abſolutè pro cacabis æreis accipiũtur, in quibus aqua igni admouetur vt calefiat. *ung*

chauldrō. Virg. Aut folijs vndam tepidi deſpumat aheni. Horat. Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum. AEris autem tres à Plinio ſpecies potiſſimum enumerantur: Corinthium, à quo vaſa Corinthia apud Ciceronem quarta actione in Verrē: Deliacū, à quo vaſa Deliaca apud Ciceronem pro Sextio: & AEgineticum. Sed omniū præſtātiſſimum eſſe puto Corinthium. Nam æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ vrbis fecit iniuria: quia incendio peruſtis plurimis ſtatuis atque ſimulachris, æris, auri, argentíque venæ in cōmune fluxere. Fuit etiamnum antiquiſſima gloria æris Deliaci. Vnde Deliaca ſupellex à Cicerone dicta, *meſnage darain*, in qua erant triclinia, & lecti, cum pedibus & fulcris ex ære Deliaco factis. Vaſa autem Corinthia Strabo in octauo, χαλκώματα κορινθιουργῆ appellare videtur. B. Plin. lib. 34. cap 2, Sūt ergo vaſa tantū Corinthia, quæ iſti elegantiores nunc æs ſculpendo tranſferunt, modo in lucernas, modo in trullas, nullo munditiarum reſpectu. Quinetiam Cicero in Paradoxis matellionem Corinthiū dixit, ære Corinthio factum. Itaque ex Plinio lucernæ, lychni, & lampades ex ære fiebant: ſed non vſqueadeo puro, niſi propter luxum. nam qui lucernis Corinthijs vtebantur, præter communē vtendi rationem faciebāt. AEgineticū enim æs, vt idem inquit, lychnuchis, candelabris, & huiuſmodi vaſis ignobilioribus conflandis dedicabatur: de quibus ſuo ordine dicemus. Fuit & æs Cyprium laudatiſſimum apud antiquos: vnde fortaſſis nos cuprum vocamus pro ære Cyprio. Plin. Teritur Cyprio ære in

Cypriis mortarijs, *mortiers de cuyure*. Quinetiam Cyprium abſolute pro cupro, quod vocamus, poſuit Plinius lib.36.cap.26.

Vas cupreũ, *pot de cuyure*. Plin.lib.23.cap.3, Coquitur in cupreo vaſe ad craſſitudinem mellis.

Labris quoque ahenis vtebãtur antiqui in balneis, *une tinne de cuyure*: quibus nunc quoque Germanicę mulieres etiã vtũtur ad abluẽdos quibuſlibet octonis diebus infantulos ſuos: & nos quoque æſtiuo tẽpore labris ahenis frigida aqua oppletis, vinaria vaſa reponimus dũ cœnatur. Virg.
Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis
Sole repercuſſum, aut radiantis imagine lunæ.

Vaſa conflatilia, *vaiſſeaulx de fonte*.

Conflabantur enim vaſa ærea delicatiora & ſonora apud antiquos, quæ in theatris reponi ſolebant pro ratione magnitudinis theatri: eáque ita fabricata erant, vt cum tangerentur, ab ipſa voce ſonitum facerent inter ſe diapaſon, diapente, ex ordine ad diateſſaron. Vitruuius lib.5.cap.5, Itaque vox à ſcena vti à centro profuſa, ſe circunagens, tactúmque feriens, per ſingulorum vaſorum caua excitabat auctam claritatem, & concentu conuenientem ſibi conſonantiam. Nihil enim eſt in omnibus metallis, quod ſono & harmoniæ ac voci aptius ſit, quàm ipſius æris materia. Hinc eſt quòd tubæ bellicæ, æreæ potiſſimum factæ ſunt, vt etiam Virgilius æs pro tubis ponat: -quo nõ præſtantior alter AEre ciere viros. hoc eſt tuba. Dicerẽ hoc loco quemadmodum æs pro pecunia apud antiquos ſumi ſolebat, quoniã primũ ærea pecunia fieret. Sed vereor ne illud eſſet

aproſdionyſum: quapropter ſatius eſt ad reliquas vaſorum differentias tranſire.

Vaſa ſtannea.

VAſa ſtannea, *uaiſſelle deſtain*, antiquis in vſu non fuiſſe reperio. Quinetiam non ita pridem apud Italos commigrauit hic vaſorũ vſus, vt culinaria vaſa, ſtannea fierent: neque verò adhuc hodie omnibus communis eſt: fictilibus enim & vitreis potius vtuntur quidam. Gallis verò iampridem hic vſus inoleuit: quo & rei domeſticæ & ſumptibus parcitur.

De ſtanno autem tantũ hoc refert Plinius: Stannum illitum æneis vaſis, ſaporem gratiorem facere (quapropter vulgus quoque noſtrum ollas iuſcularias, *potz a ſouppe*, ſtanno illinit) itẽ & compeſcere æruginis virus. Vnde hydrias & vaſa aquaria, ſi quidem ænea ſint, ſtãno intus illinimus: mirúmque eſt, ſtannum æri illitum, pondus non augere. Fiebant quoque apud antiquos ſpecula ex ſtanno laudatiſſima, quæ Brunduſij temperabantur, donec argenteis vti cœpere & ancillæ. Plin. lib. 34.

Stannum præterea Homerus vocat caſſiteron Iliados 6. Vnde caſſiterina vaſa eleganter dicere poterimus pro ſtanneis.

Vaſa plumbea.

PLumbi vſus ad vaſa infreques fuit apud antiquos, vt etiam apud nos quoque, propter metalli pondus & vilitatem. Cæterum vaſis plumbeis tantum vtimur ad odores conſeruandos & vnguenta, atque alia quæuis liquida pretioſiſſima. Itaque capræ illius ſylueſtris excremẽtum vſqueadeo odoratum, quod moſchum vocãt pharmacopolæ, in pixidibus plumbeis reponere ſolent, & diu admodum incorruptum ſeruare. Præterea regum corpora capſis & ſarcophagis plumbeis vncta & aromatibus illita, Galli humi recõdere ſolent: ſua enim denſitate prohibet plũbum, ne odor internus effluat & diſſipetur, néve externus aer illabatur : quæ ratio eſt cur corpora imputria diu ſeruantur. Sed nunc locus non eſt vt de plumbo plura dicamus : huius autem rei qui plura deſyderabit, requirat apud Plinium lib. 34, vbi de argẽto plumbato & replumbato loquitur: nempe dum plumbum ab eo auellitur, & argentũ purum relinquitur: præterea etiã de plumbatione vel potius plumbatura, hoc eſt, quando plumbo maſſa maſſæ iungitur, ita vt iunctura plumbea cohæreat, quemadmodum fit & ferruminatio.

Vaſa lignea.

VAſa lignea, *uaiſſeaulx de bois*, multis modis, variiſque lignorum materijs apud veteres fiebant, quemadmodũ nunc quoque fiunt. fuit enim fagi honos præcipuus in vaſis, *du fau, ou du heſtre*, propter eius lentorem plicabilem: fiebántque ex fago pocula elegantiſſima tornata, & arte toreutica cælata. Virgilius, -pocula ponam Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis. Cuiuſmodi fortaſſis ſunt ea pocula quæ ex æde D. Claudio ſacra adferuntur. Cæterum memini me legiſſe, M. Curiũ iuraſſe ſe ex præda nihil attuliſſe præter guttum faginum quo ſacrificaret. faginum præterea cantharum deſcribit Stroza pater: -hinc faginus illi Cãtharus effundit glocitãti pocula collo. Virgilius inſuper buxum tornatile appellat, quòd eo fiebant vnguentariæ pixides, & alia huiuſcemodi toreumata, quæ buxea vaſa appellare poſſumus. Buxo etiam fiebant laudatiſſimæ tibiæ. Seneca, Tibi multifora tibia buxo ſolenne canit. Betula item, *bouleau*, arbor eſt eximij cãdoris, qua fiũt circuli vaſis vinarijs idonei. Vtilis etiam eſt conficiendis ciſtis & ſportellis, flexibili crate. eius ligno noſtra ætas varij generis & vſus quoque vaſa conficere ſolet: quæ (ſi quidẽ nobis liceat noua effingere vocabula) vaſa betulina appellabimus, *uaiſſeaulx de bois blanc*.

Vaſa quoque hæderacea antiquis in honore maximo fuerũt, ea potiſſimũ ratione, qua Plinius ait

in vaſe hæderaceo vinũ tranſfundi, aquam rema nere, ſi forte commixta ſit. Cuiuſmodi fuit vas illud quod Homerus Ciſſimbium appellat (Græci enim κισσὸν hæderã vocant) datúmque fuiſſe Ciclopi ab Vlyſſe ſcribit. Huius poculi Euripides & Callimachus apud Macrobium meminerũt. Fiebant etiamnum ex terebintho calices excellentiſſimi, qui à nomine authoris θηρίκλειοι appellabãtur: quemadmodum Antigonides & Seleucides, quibus Antigonus Seleucúſque nomina indiderunt. Plinius, Celebratur & Thericles nomine, calices ex terebintho ſolitus facere torno. B.

Vaſa vitrea.

Vitreorũ vaſorũ vſus, quæ Græci ὑάλινα vocant, haud ita pridem inuentus eſt. Vitrum autem quando primum inuẽtum, & quomodo conflatũ, Plinius recẽſet lib. 34. cap. 24. Neque vero alienum fuerit vaſa potoria, quæ ex vitro fiunt, vnà cũ vulgo vitra appellare: queãdmodũ Martialis vaſa cryſtallina, cryſtalla appellat. Itaque ſi quidem vitrea vaſorum materies ex ſilice conflata fuerit, vitra ſilicea ſiue ſilicina appellabimus. Si vero lapidibus vſtis, vt ferè fit, vitra erunt lapidea. atque in hoc cõmunem loquendi vſum non aſpernabimur.

Vaſa vitrea excellentiſſima laudantur hodie ex Murano oppido Venetijs proximo, in ipſo Adriatico mari.

Calices vitrei, vaſa erant potoria, quemadmodũ etiam nobis, quorum formam imitãtur ſacroſancti illi calices, quibus noſtri ſeniores in ſacrificijs diuinis vtũtur. vulgus vocat *ung calice*. Quod autem calicibus biberent antiqui, id oſtendit locus Horatij, Fœcũdi calices, quem non fecere diſertũ? Cæterum calices vitrei à Græcis verbum è verbo κάλικες ὑάλινοι dicuntur, authore Iulio Polluce. Erat & Nimbus vitreus: cuius mẽtio multa apud Martialem. B.

Vaſa cryſtallina

CRyſtallũ fieri aiunt gelu vehementiore concreto, argumento eſſe non aliubi reperiri, quàm vbi hybernæ niues maxime rigent, glaciémque eſſe, vnde nomen Græci dederunt.

Ex cryſtallo autem vas amphorale viſum eſt, authore Xenocrate.

Aſyntheta Plinius author eſt vocari vaſa cryſtallina pura, ſine vlla macula & vitio: vitia enim artifices cælatura occultant. Iuuen. Grãdia ponũtur cryſtallina. De poculis intelligit, quæ ex cryſtallo fieri ſolebant. Martialis in 3,

Opimianum morionbus nectar
Cryſtalliníſque, murrhiníſque propinat.

Idem in decimo, cryſtalla pro cryſtallinis vaſis dixit. Plura qui volet, requirat ex Plinio.

Vaſa murrhina.

MVrrhina pocula antiquis laudatiſſima fuerunt, quemadmodum cryſtallina: refértque ea Plinius ex oriente mitti: inueniũtur enim ibi in pluribus locis, nec inſignioribus Parthici regni, præcipue tamen in Carmania: amplitudine nuſquam paruos excedunt abacos, craſſitudine rara, quanta vaſi potorio eſſe debet. Humorem putãt ſub terra calore denſari. Quòd autem in murrhinis magis laudatur, eſt ipſa colorũ varietas, ſubinde circũagentibus ſe maculis purpureis, & rubeſcentibus, lacteis, quas maculas videre eſt in illo piſce qui murrhena dicitur: vnde murrhina vaſa dicta crediderum. B.

Murrhina vaſa ætas noſtra non nouit: tantùm hoc memini, me vidiſſe Venetijs quædam vaſcula quæ ex oriente adferri ſolere audiebamus: aiebántque neſcio quot annos in penitioribus terræ locis aſſeruari ſolere priusquàm exerantur, donec pelluceant: atque ob id venenum nunquam admittere: vulgus porcellanam vocat. ob id fortaſſis quòd ex eo puluere, quem Plinius puteolanũ vocat, quíque in aqua indureſcit ac lapideſcit, efficta erãt, vt dicantur quaſi puteolana ab Italis. Sed nihil huius rei compertum eſt nobis præter diuinationem. Murrhinum autem quid ſit, neſcio an recte conijcere poterimus eum eſſe lapidem pretioſum, quem vulgus vaſculariorum vocat aquam marinam: accedit enim ad deſcriptionem Plinij,

quam de murrhino conſcripſit. Cæterum illud tantum addã, vaſa murrhina apud antiquos ſummo in pretio fuiſſe. hinc ait Tranquillus, Auguſtum ex Alexandria capta nihil ſibi præter vnum murrhinum calicem ex inſtrumento regio retinuiſſe. De his autem videto Plinium.

Vaſa lapidea.

FIebãt & apud antiquos vaſa lapidea in multos vſus, & ex delicatiſſimis potiſſimũ lapidibus, ac marmoribus pretioſis: qualia erãt quę ex onyche marmore Arabiæ pretioſiſſimo fiebãt: vt vaſa potoria apud Germanos primũ onychina facta refert Plinius: deinde pedes lectorum & ſellas ex eodẽ marmore cœptas fieri, dicit. Corneli⁹ Nepos tradit magno fuiſſe miraculo, cũ P. Lentulus Spinter amphoras ex onychino marmore, & vrceos onychinos magnitudine cadorũ oſtẽdiſſet. Eſt & præter hũc alter quoque pretioſus onyx, quẽ cornalinã vocat vulgus. Vide Pliniũ. Dictus onyx quòd formam vnguis humani habere videatur.

Quinetiã labra ex Porphyritide ab antiquis fieri ſolere oſtẽdũt antiqua illa monumẽta, quæ adhuc hodie Romæ viſuntur, præſertim circa ædẽ D. Ioannis in Laterano. ſúntque eius propemodũ formæ ac coloris, cuius eſt vas illud marmoreum quod hodie in Dionyſiana viſitur: cupam Diocleſiani vulgus appellat. Ego vero labrum antiquum fuiſſe exiſtimauerim. Erat autẽ labrũ, vas balneariũ, quẽadmodũ & ſoliũ. Cic. Terẽtiæ, Labrũ ſi in

balneo nõ eſt, fac vt ſit. *une tinne.* Inde labellũ, *une tinnette.* Plin. Cinerémque in labellis, aqua addita cõfricãt manu, & cõſidere patiũtur. Labra quoque vinaria, lupinaria, & olearia Catoni, in quib⁹ lupini conduntur, & in quæ vina è lacu, oleum è cortina trãſferũtur. Fiũt quoque apud nos mortaria lapidea, in quibus varia aromata contũdimus.

Hũc præterea, inquit Plinius, alabaſtritẽ lapidẽ vocant, qui excauatur ad vaſa vnguẽtaria, quoniã optimè ea incorrupta ſeruare dicitur, *de lalbaſtre.* Itaque vaſa alabaſtrina dicemus ea, quæ ex alabaſtrite lapide fiũt, *uaiſſeaulx dalbaſtre*: qualia vidim⁹ torno eleganter fieri Florẽtiæ, ad antiquũ morem excauata & efformata: ἀλάβαςρον autem Pollux vas vnguẽtariũ appellat, quod à nobis alabaſtrũ ſiue alabaſter dici poterit: cuius vaſis fit mẽtio in Euangelio de Magdalene, quæ effudit alabaſtrum vnguenti nardi piſtici pretioſi. Alabaſtrũ quoque Thebaidis regionis oppidũ, in quo plurimus lapis topaziũ reperiebatur, Plinius fuiſſe refert lib. 37. cap. 8.

Vaſa fictilia.

VAſa fictilia, omnium viliſſima habebantur, fiebántque ex argilla potiſſimum, aut alio quouis luto præpingui, *potz de terre*: quorum vaſorum efformatores & effictores à fingendo figuli appellati ſunt, *potiers de terre.* Hinc Auſonius de Agathocle, -rex ego qui ſum Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.

De quo etiam illud à Iuuenale refertur, eundem regem fictilibus in menſa vaſis vſum fuiſſe:
Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem.
Fictilia autem erant potiſſimum vaſa aquaria, vt vrcei, hydriæ: præterea etiam culinaria quædã, vt ollæ, lances, catini, & alia huiuſcemodi: de quibus tempus eſt vt ſeorſim dicamus, ſi prius illud explicauerimus, vaſorum fictilium præſtantiora haberi ſolere Samia & Aretina: hoc eſt, quæ in Samo inſula & Aretio vrbe Cãpaniæ fiebãt. Plaut. in Capt. Ad rem diuinam, quibus eſt opus, vaſis Samijs vtitur: quemadmodum vulgus Italorum Maiorica vaſa appellat, quæ in altera ex inſulis Balearibus fiunt, quam vulgus Maioricam appellare ſolet. Itidem & nos eadem ratione vaſa Bellouaca dicemus, *potz de beauuais*.

DE ALIIS VASORVM DIFFERENtijs, quæ ex eorũ vſu ſumi ſolent: itémque de varijs eorundem nominibus.

EXplicatis vaſorũ differentijs generalioribus, æquũ eſt vt ad ipſas ſpecies deſcẽdamus, quæ & eorum nomina, & vtilitates ipſas cõplectuntur. Itaque primũ de eſcarijs vaſis dicẽdum: deinde verò de potorijs, vinarijs, aquarijs, niuarijs, & huiuſcemodi omnibus agemus ſuo ordine.

Vaſa eſcaria.

VAſa eſcaria, in quibus eſcæ, hoc eſt edulia & menſæ reponebantur, aut deferebantur ipſis conuiuis: quorum nomina ſeorſim à

nobis recenſenda ſunt.

Vaſa promulſidiaria dicebãtur ea, quibus promulſidem apponebãt. Eſt autem promulſis, quod vice mulſi (vulgus vocat, *du claré*) dabatur conuiuis ad prouocandam auiditatem cibi. *entree de table.* Huiuſmodi fortaſſis erant artolagani, *gaſteaulx fueilletez*, oleæ, *des oliues*, & lucanica, *des ſaulciſſes*. Cicero Papirio Pæto. Neque eſt quòd in promulſide ſpei ponas aliquid, quam totam ſuſtuli: ſolebã enim antea delectari oleis, & lucanicis tuis. B.

Lanx, *ung plat*, variæ formæ erat: quemadmodũ apud nos quoque eſſe ſolet. Lances enim aliæ latæ (vnde platum à latitudine vulgus appellauit) aliæ cauæ. Mart. Et leues ſcutulas, cauáſque lãces. Aliæ item maximæ, mediæ, & minimæ, vt inquit iureconſ. præterea erant aliæ quadratæ, vt apud eundem iureconſ. aliæ rotundæ. Horat.

Vmber, & iligna nutritus lance, rotundas
Curuet aper lances, carnem vitantis inertem.

Itaque lanx à latitudine dicta eſt, apta quidem dapibus & eſcis reponendis. vnde Iuuenalis,

Aſpice quàm magno diſtẽdat pectore lancẽ. B.

[Ea etiamnum vtebantur in ſacrificijs deorum in quibus exta animalium ſacrificatorum reponebantur. Virgilius 2. Georg.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.]

Lãces chryſendetas vocare videt̃ Martialis in 2,

Immodici tibi flaua tegunt chryſendeta muli.

Hoc eſt, lãces aureis cruſtis illigatæ & exornatæ, de quib⁹ ſuprà diximus. Lãces autẽ τοὺς πίνακας vocãt Græci, atque adeò Athenæus & Pollux. B.

Catinus lance profundior erat, & à capiẽdo di-

ctus, *ung plat creux*: Itali adhuc vocant *cadin*. Catinis autem vtebantur Romani ad pullos reponẽdos, & alia obſonia, vt hodie platis vtimur. Horatius primo Serm.

Aut poſitũ ante mea, quia pullum in parte catini
Suſtulit eſuriens, minus hoc iucundus amicus.

Piſces quoque catinis reponebant. Idem 2. Serm.
Anguſtóque vagos piſces vrgere catino. Qui piſces obſonij nomine veniũt: id enim Græci ὀψόνιον vocant, vt colligere eſt ex 21. cap. Euang. D. Ioannis. ὄψον enim Græci vocabãt, quicquid piſcium aſſabatur ſuper carbones: inde obſonator, qui piſces aſſandos emit. Catino autem fictili vtebantur pauperiores. Horat. 1. Serm.

-aſſiſto diuinis, inde domum me
Ad porri & ciceris refero, laganíque catinum.

Quo loco inter Campanam ſupellectilem annumerare videtur.

A Catino diminutiuũ catillum. Idem eodẽ loco,

-menſáve catillum
Euandri manibus titum deiecit. B.

Feneſtella, vt inquit Plinius, tympana ſe iuuene dicit appellata patinas & lances, quas antiqui magidas appellauerãt. μάγις autem Græcum vocabulum eſt, quo ſignificantur menſæ, quæ apponuntur & remouentur, authore Iulio Polluce. B.

Ferculum, vas ad ferendum obſonium vel pulmentarium.

Patina vtebantur antiqui ad coquendos piſces, & cætera id genus. Plin. lib. 23. de fæce cepe, Decoquitur, inquit, in patinis cum ſale & adipe, ad tumorem quoque maxillarum & ceruicũ: tum

etiã ferculi vice. Et, niſi me fallit opinio, eadẽ patina vtebantur & ad coquendum & ad ferendum obſonium, elixum præſertim. Horat. 2. Serm.

Affertur ſquillas inter murena natantes
In patina porrecta.

A patina quoque tripatinum dictum. de quo videto Bayſium diligenter, vbi loca aliquot Plinij reſtituta animaduertes.

Patella quoque, vas eſcariũ, ad olera & pulmẽta reponẽda. Horati⁹ in epiſtola ad Torquatũ, lib. 1,

Nec modica cœnare times olus omne patella.

Iuuenalis in quinta,

Ponitur exigua feralis cœna patella.

Quibus verbis palàm eſt, patellam pro parua patina ſumi, quæ ab iſtis tũ modica, tum eigua dicitur. Iulius Pollux λικανίδα vocat: Patellas enim vocant Græci λικάνας: ſicut etiam κύκλοι apud illos dicuntur, quos nunc orbes & quadras dicimus, *des taillouers*, *des aſſiettes*. Bayſius.

Paropſis, quẽadmodũ patina, tum pro vaſe eſcario, tũ etiã pro vili obſonio & iure, & etiam maza apud Pollucem & Athenęum ponitur. Iuuenalis,

Quàm multa magnáque paropſide cœnat.

Erant autem argenteæ paropſides & fictiles. Martialis in 11,

Cui portat gaudens ancilla paropſide rubra
Alecem: ſed quam protinus illa voret.

Vide diligenter Bayſium.

Diſcus pro vaſe eſcario, Apuleio ſumitũ: Cœnarũ reliquijs diſcus ornatus. Niſi malumus cũ Polluce pro orbibus ſumi, quos ille κύκλους ἀργυροῦς, orbes argenteos, ἢ χεύματα ἀργυρᾶ, ἀπίνα-

κας vocat in ſexto. Erat item diſcus maſſa plumbea, ad formam orbicularem facta, quam pugiles & palæſtritæ ſiue athletæ in ludis gymnicis iaculabantur in ſublime. Ouid. 10. Metamorph. Splendeſcunt, latíque ineunt certamina diſci.

Scutula, *une eſcuelle*, lance minor erat: quapropter inquit Martialis, Et leues ſcutulas, cauáſque lãces. ἀϱιϛοφόϱον itẽ Græci vocãt vas in quo prãdiũ defertur: quemadmodũ οἰνοφόϱον, amphorã.

Gabatæ præterea erant vaſa alia eſcaria & pulmentaria. Martialis,
Tranſcurrunt gabatæ, volántque lances. Idem,
Sic implet gabatas, paropſidéſque.

Vaſa potoria, &

POCVLA.

Vaſa potoria & pocula dicuntur, in quibus bibimus: quæ varias formas variáque nomina acceperunt. Fiebant autem argentea, aurea, cryſtallina, & lignea, vt prius diximus. Cic. in Verrem, act. 6, In his pocula duo, quædam quæ heraclea nominantur, Mentoris manu ſummo artificio facta. Poculum interdum pro ipſa potione ſumitur. Virg.
Pocula ſiquando ſæuæ infecere nouercæ.
A poculo fit pocillũ, ꝑ paruo poculo vaſe. Plautus, Tecũ vnà poſtea, tecum aquæ pocilla potiret.

Pocula clauis aureis ſuffixa Homero dicuntur, quæ vulgus pocula martellata vocat. Queãdmo-

dum refert Plinius Agnonen Teium Alexandri Magni præfectũ aureis clauis ſuffigere crepidas ſolitum fuiſſe. De clauis autem videto in libello De re veſtiaria.aureos autem clauos Athenæus χρυσοῦς ἥλους vocat.

Scyphum, quem ſcypphũ nõnulli ſcribunt, vel cyphum, Græci σκύφον dicunt, & σκύπφον, vt docet Athenæus in x I. *une conppe*. Eſt autem vaſculum potorium, vt cuique notũ eſt. Inter ſcyphos laudantur imprimis Bœotii, quibus Hercules primùm in expeditionibus vſus eſt:deinde Rhodiaci, ſequentibus Syracuſijs. Virgilius,

Et ſacer impleuit dextrã ſcyphus. Scypho enim veteres in conuiuiis & ſacrificiis vtebantur.

Cyathis antiquos potus ſui menſuram metiri ſolitos etiam inter epulas, ex eo cõijcio, quòd ſerui quidam ad cyathos ſtare vel eſſe dicebãtur, vt ſerui ad limina & pedes:hoc eſt, qui foribus præerant & pedibus excalciandis, dũ cœnaturi eſſent domini. Hinc Cicero, Seruũ meũ à pedibus tibi miſi. Quod autem cœnaturi vel diſcubituri ſoleas deponerent, oſtendit locus Martialis,

Depoſui ſoleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarũmque liber. Cæterũ ſeruos à cyathis Græci οἰνοχόους dicunt: vnde cyathus à quibuſdam vocatur οἰνοχόη, quod vocabulum ab hauriendo & fundendo vinum, deductum eſt. Hoc autem munere qui fungebantur, dicebantur κυαθίζειν, hoc eſt cyathiſſare:quo verbo vtitur Plautus in Menæhmis, Non ſcis quis ego ſim, qui tibi ſæpiſſime cyathiſſo: hoc eſt, cyatho vinũ bibendum admetior:quod Athenæus dicit κύα-

θω οἰνοχεῖν. Appellabantúrque hi pincernæ, non omnino inepto vocabulo, nempe quod à Græcis deductũ fortaſſis putabitur: vt eum ſignificet cui conuiuæ identidem dicũt πίνειν κύρνα: id eſt, miſce vinum, vel tempera vinum vt bibam. Quod munus apud antiquos nobiliſſimi iuuenes in publicis ac ſacris conuiuijs obire ſolebant: quemadmodũ Ganimedem in deorum conuiuijs fabulæ feciſſe referunt: vnde & deorum pincerna appellatus. Qui mos hodie quoque apud Italos, & nobiliores quoſdam Gallos obſeruari ſolet, vt iuuenes quidam, aulicis dum miniſtrant potum, aperto capite, altera manu cyathum, altera phyalam aquariam tenentes, tantum aquæ vino miſceant, quantum à conuiua expoſtulatúr. Sed hæc omnia ex Budęo decerpta in libris de Aſſe: ſuus enim eſt vnicuique honos tribuendus.

Patera, *une taſſe*, ab ethymo dicta, quòd ampla ſit & pateat: fiebat autem vt plurimum aurea vel argentea, aut nobilioris atque excellentioris alicuius metalli: erat enim principum ac regum poculum. Virgilius,

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido.

Calix, *ung calice*, aliud poculi genus, quod interdum vitreum, interdum murrhinũ fieri ſolebat. Martialis lib. 4,

Prodat perſpicuus, ne duo vina calix.

Illud porrò ſciendum eſt calicem à probatiſſimis authoribus poni non ſolum pro vaſe, ſed pro ea tãtum vaſis parte, quæ humoris capax eſt. Quinetiam Plinius roſæ calicem dixit, eã partem quæ roſæ luteos apices in ſe recipiat & contineat. vi-

de Bayſium diligenter. Calices etiam fictiles erãt tum ad bibẽdum apti, tũ etiã ad legumina reponẽda. Ad bibẽdum autẽ calices fictiles factos fuiſſe refert Plutarchus in libello de cohibẽda iracundia: D. Claudiũ Cæſarem conuiuæ, qui pridie ſcyphũ aureũ ſurripuiſſe exiſtimabatur, reuocato in diẽ poſterum, calicem fictilem appoſuiſſe. Ad legumina vero reponẽda. Ouidius lib. 5. Faſtorũ, Stãt calices, minor inde fabas, olus alter habebat.

Modiolus, vas paruum, factum ad modij ſimilitudinem: cuiuſmodi ferè ſunt ea quæ gobeleta dicimus. Et Venetijs latini vocabuli veſtigia vulgo retinent: vocant enim *mozol*, quaſi *modiol*, propter affinitatem d, cum *z*. B.

Amphithetũ, poculi gen9, ita fictũ, vt quauis ex parte poſitũ ſtaret, nullúmq; certũ haberet fũdũ. Hinc prouerbium in eũ qui liberius & meracius potaret, Ex amphiteto bibiſti.

Carcheſiũ, vas potoriũ vel poculũ, quo vtebant̃ in ſacrificijs: factũ ad formã cuiuſdam nauis quã Macrobius ait tantũmodo Græcis notam fuiſſe. Virgilius, -cape Mœonij Carcheſia Bacchi, Oceano libemus, ait.

Sympullum, vas fictile, quo in ſacris prolibabãt ſacrificuli. Plin. lib. 35. vbi de plaſtice, In ſacris quidẽ etiã inter has opes, nõ murrhinis cryſtalliníſve, ſed fictilibus prolibatur ſympullis. Bayſius.

Capedines & fictiles vrnulas, pro ſympullis poſuit Cicero in Paradoxis: & in tertio de natura Deorum capedunculas appellat, quibus Numa Pompilius primus in ſacris vſus eſt. B. Capidulam autem M. Cato, vel Capim, genus poculi

eſſe indicare videtur, quod anſatum erat, vt manu capi poſſet: vnde nomen deductum puto.

Cululli, calices erant fictiles, quibus Pontifices virginéſque Veſtales in ſacris vtebãtur. Horatius, lib. 1. Carm. -diues & aureis
Mercator exiccet culullis vina. Idem in Arte,
Reges dicuntur multis vrgere culullis.

Calathus ſumitur quãdoque pro poculo vel calice, quo in ſacrificiis veteres vtebãtur. Virgilius,
Vina nouum fundam calathis Aruiſia nectar.
Mar. 9, Expẽdit veteres calathos, & ſiqua fuerũt
Pocula, Mentorea nobilitata manu.

Cypellum à Græcis dicitur poculum ad interna proclinatum. vocatur & amphicypellum, velut vndique introflexum.

Cymbium, poculum in modũ cymbæ, hoc eſt, nauiculæ factum, cuiuſmodi ſunt thuris repoſitoria in noſtris ſacris. Fiebãt autem interdum cymbia pretioſiſſima ex chryſopraſio lapide viridanti. Plin. lib. 37. cap. 8, Præfertur his chryſopraſius porri ſuccum & ipſa referẽte. Sed & paulum declinans à topaſio in aurũ. Huic & amplitudo ea eſt, vt cymbia etiam ex ea fiant: cylindri quidem celerrime. Quo ex loco, neſcio an diuinare poſſimus, cylindros pocula etiam fuiſſe pretioſa ex huiuſmodi lapidibus facta: ſed nihil temere. Eſt & cymbium lactis quoque poculum. Virgilius,
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte.

Guttus, poculum erat quo in ſacrificijs vtebantur, quando guttatim liquorem aliquem inſpergere volebãt, quemadmodũ vaſa illa eſſe ſolẽt in quibus acetũ recõdimus, quæ anguſti ſunt admo-

dum oris. Plin.lib.16.cap.38, Marcus Curius iurauit ſe ex præda nihil attigiſſe, præter guttũ faginũ quo ſacrificaret.Gel.lib.17, Guttũ Samium imprudens,inanem,tanquã ſi eſſet oleum,affert.

Cãtharus,proprium liberi patris poculum:erat autem anſatum,vt conijcimus ex Virgilio,qualis eſſe ſolet lagena. De Sileno,

Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.

Cantharus autem nomen eſſe nauigij oſtendit Macrobius ex Menandri teſtimonio,ad cuius formam poculum Bacchi factum erat, noménque inde acceperat.

Culigna Catoni vas potoriũ,quo meſſores vtebantur:atque in fœnogræco reponebant, vt bene oleret.In eo autem tantùm vinum reponebatur.

Crater,crateris,*ung hanap.* Virgilius,

Crateras magnos ſtatuunt,& vina coronãt. Idẽ,

Craterâſque duos ſtatuam tibi pinguis oliui.

Pro cratere pſycterẽ poſuiſſe videtur Plutarchus in vita Alexãdri,de Glauco medico:Quẽ(inquit) Alexãder in theatro abſentẽ nactus,caprum prãdit aſſatum,& ingentem vini pſycterem hauſit. Niſi pro maiore & ampliore vaſe ſumi videatur.

Lagena,*une bouteille*, vas fictile,quo ceu potorio vtuntur qui per æſtatem atque ardores maximos in agris negotiãtur.Ea forma,inquit Budæus,qua hydriæ fictiles hodie à Bellouacis importantur, *cruches de beauuays*.A tereti enim collo diſtenta ventris laxitas,iterũ ſenſim ad imum gracileſcit. Martialis,

Nulla cathenatis pila eſt præcincta lagenis.

Vaſa vinaria.

VAſa vinaria, in quibus vinum ad noſtros vſus reponere ſolemus. Quo in loco etiam de illis vaſis vinarijs tractabimus, quæ mẽſuram certam continere ſolent. Inter quæ etiamnum annumeranda mihi videntur ea, quæ à Columella libro 12. capite 19. vaſa defrutaria appellantur: nempe ea in quibus defrutum vel ſapam, hoc eſt, vinum conſumptum & decoctum ad tertias partes infundimus: vel etiã vaſa defruto conficiendo vtilia & accommoda.

Cadus, *ung caque*, amphoras duas & beſſem capit: hoc eſt, duodenos congios Parrhiſinos. Fuit autem cadi forma apud antiquos turbinaria, ex Plinio: id eſt cono & ſtrobylo, & nuci pineæ ſimilis. Ouidius quinto Faſtorum,

Promit fumoſo condita vina cado. Virgilius,

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes.

Cadis etiam vtebantur antiqui ad ſalſamenta cõdienda.

Cirnea, vas vinarium, quo vinum è cadis detrahebatur: vulgus Italorum ſimile quiddam vocat, *ung bocal*. Plautus Amphit. Cadus erat vini, inde impleui cirneam.

Congius quartarios quaternos continet: Græci choa dicunt. Sextarium lingua noſtra vernacula, nulla ratione vocauit *ung ſeſtier de uin*.

Vrna, hemiamphorion ſeu ſemiamphora quoque dicitur: quadraginta enim vrnæ, viginti am-

phoras valent ex ſupputatione Columellæ. Sedecim autem vrnæ, modium noſtrum faciunt: id eſt quatuor & viginti brochos.

Brochus verò, à verbo Græco βρέχω dicitur, quod fundo ſignificat: eſt autem vas fundendo vino accommodatum implendis, deplendíſque culeis, & vaſis conditorijs, & vino quocunque modo tranſuaſando. Græci œnophorum ex eo appellant, quòd vino comportando aptum ſit. Iuue.

Tandem illa venit rubicundula, totum
OEnophorum ſitiens, plena quod tenditur vrna.

Sed vt ad vrnam redeamus, veteres inuenio vrnis nõ ſolum ad vinum & aquam vſos, ſed etiam ad mortuorum & concrematorum cineres reponendos, cuiuſmodi antiqua monimenta paſſim in Italia reperias. vrnis etiam ad ſuffragia vtebãtur. Virgilius, Quæſitor Minos vrnam mouet. Vrnæ quoque prætoriæ meminit Iuuenalis ſat. 13. Vrnas præterea olearias fictiles Cato ponit.

Amphora, vinarium & aquarium vas. Quòd autem etiam aquarium eſſet, oſtendit locus Horatij in Arte poetica: -amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur vrceus exit?

Quòd verò magis vinarium fuerit, ex hoc liquet quod de Bonoſo imperatore dicitur, qui cum ſe ſuſpendiſſet, dictum eſt, non imperatorẽ, ſed amphoram pendere: vino enim plus ſatis indulgebat. Martialis,

Amphora non meruit tam pretioſa mori.

Amphoræ forma teſſeraria fuit, & in ceruicẽ gracileſcens. ex Catone. Singulæ autem amphoræ decem & octo quartarios noſtros capiũt: hoc eſt

ſextarios Romanos duodequadraginta. Romæ præterea in angiportis,& angulis vicorũ,amphoras fictiles collocatas fuiſſe memoriæ proditũ eſt, in quibus veſicæ commeantium, vt inquit Suetonius,exonerarentur. Hinc Caij Titij oratoris dictum in oratione pro lege Fannia, Dum meiunt, inquit,nulla eſt in angiportu amphora,quam nõ impleant, quippe qui veſicam vini plenã habeãt.

Dolia,inquit Nonius, vaſa ſunt grandia, quibus vinum recõditur.Cato, Vinum in dolijs hoc modo vænire oportet. Varro de re ruſt.Cõtrudatur in dolia plena vinaceorum hoc eſt,acinorum & ſeminũ, quæ in vuarum granis cõtinentur. Ita enim appellat Cicero in lib. de Seneƈt. Porrò hoc genus vaſis prius ab antiquis calpar dictum, Varro in Nonio aſſerit. Seſquiculeare dolium, Columella triginta amphorarum doliũ appellat. Ventroſa autẽ dolia eodem authore fuerũt. Quinetiã olearia dolia fuiſſe affirmat lib.vj. quorũ magnitudinem culearem fuiſſe dicit. Cato de re ruſtica, Eos conculcatos in dolia picata indito. Dolia picata appellat,pice illita,*poiſſez*.

Linter,genus dolij ruſticani. Tibull.lib.1, Aut mihi ſeruabit plenis in lintribus vuas. Eſt etiam lignum cauatum inſtar nauiculæ. Vnde & pro naui accipi ſolet.

Cupa,*une cuue*, maius vas ligneum ad vinum condiendum, ea forma inquit Budæus,qua lacus torcularis. Plin.lib.23.cap.2, Ergo vini fæci tanta vis eſt, vt deſcendentes in cupas enecet. Lucan 4, Nanque ratem vacuæ ſuſtentant vndique cupæ. Cupis enim naues fulciebant dum reſarcirentur.

Cupis etiam veteres vſos ad bibendum vinum, refert Nonius ex Næuio, quēadmodū cyathis: atque à cauponib⁹ dictas refert, qui his cupis ꝓ poculis vtebātur. Næuius, Duas cupas mero plenas exhauſit Fortaſſis erāt eius formæ, cuius ſūt vaſa illa argētea vel ſtānea, quæ *gobeleta* vulgus vocat.

Quadrantal, inquit Feſtus, antiqui vocabāt amphoram, quod vas pedis quadrati, octo & quadraginta ſextarios capit. Plautus,

Sitit hec anus. PA. quātillū ſitit? PH. modica eſt, capit Quadrantal.

Cybium à Græcis dictum, ex Budæo, vas illud, quod priſci Latini quadrantal appellabant. Dictum cybium, quia eius medium æquè patet in omnes partes : quod genus à geometricis cybos dicitur.

Modius, *ung muy*, Gallicum vocabulum eſt & aridorum & liquidorum menſuræ, nō modo priſcum, ſed varium, pro locorum varietate nomen obtinens. Modij autē noſtri menſura, 36. congios noſtros capit, quos vulgus ſextarios nulla ratione appellat.

Medimnus, ternos modios Romanos continet: mimnam vulgus vocat per ſyncopen, *une mimne*.

Modius autem Romanus non diſpar erat ei menſuræ, quam bœotium vocamus, *ung boeſſeau*. Chœnix vero ſemodius dicebatur, *ung demy boeſſeau*, vt illud obiter dictum ſit. Budæus.

Culeus, *une pippe*, modios noſtros duos & ſemis capiebat: id eſt, ſexaginta Romanos. continebat autem amphoras vicenas: hoc eſt vrnas quadragenas. Magnum autem vas ex eo fuiſſe apparet,

quòd in culeo ſcorteo damnati lege Pompeia, cũ cane, & gallo, & vipera inſuebantur.

Culeos autem nunc ſeſquimodiales habemus, id eſt, duodecim amphorarum: cuius vocabulum vulgare ad Latinum alludit. Quo genere Ligeris fluuij accolæ vtuntur. Eſt & aliud genus culei maioris captus, quos tonnellos appellamus vulgó. Budæus lib. 5. de aſſe. Columella lib. 3. cap. 3, Seneca vir excellentis ingenij atque doctrinæ, cuius in prædijs vinearũ iugera ſingula culeos octonos reddidiſſe plerunque compertum eſt.

Mirum autem eſt Gallos noſtros, φιλέλληνες vſqueadeò fuiſſe in hiſce vaſorum, & menſurarum nominibus, vt etiã integra vocabula retinuerint: quemadmodum in ſequẽtibus dicemus, primùm à minoribus vaſis incipientes.

Hemixeſtes, *demy ſeſtier*, minima menſura, ac minimum vas vinarium à nobis dicitur: quod vocabulũ merè & integrè Græcũ eſt: ſignificat enim dimidiatum xeſtem. xeſtes autem eſt hemina.

Cheopina, *une chopine*, à Græco χέε πίνειν, quòd in ea tantum funditur vel hauritur vini, quãtum homo ſitibundus vno hauſtu abſumere poſſit. Lugdunenſes filletam appellant, quaſi fideliam, quæ duplex pintam continet.

Pinta, *une pinte*, à Græcis deducta: illi enim pitynam appellant vas quoddam vinarium: deinde ex pityna per ſyncopen fit pitna: nos autem trãſpoſitione literarum pintam diximus, à πίνω, bibo: vnde aliud quoque vocabulum deductum habemus, *ung pion*, pro potore & helluone.

Quartarium, *une quarte*, apud Catonem eſt cōgij ſexta pars. Nos vero brochum appellamus ſeſquiſextarium Parrhiſinum, quæ menſura dimidio maior eſt vrna: id eſt, hemiola eſt vrna brochi. Itaque quartarium dicimus, non quartam partem alicuius maioris menſuræ, vt Latini vocauerunt, ſed vas quod quatuor mēſuras caperet, id eſt, quaternas cheopinas. Sic tertiarium, quod tres, *ung pot de trois chopines*. Semiſſem autem vocant Lugdunenſes, quam quartam vocamus, *une cymeſe*. Sed hæc omnia ex Budæo, ne quis allatur.

Fidelia, inquit Nonius, vas Samium ad plurimos vſus : nos autem pro vaſe vinario vtimur, quod lingua noſtra corrupto vocabulo vocat *une fillette*, præſertim apud Trecenſes: nam Lugdunēſes pro cheopina accipiunt. Fideliarum autē Trecenſium forma eſt lignea, quemadmodū cadiſci. Plautus Aulul.-ſed ſi reperero ô Fides, Mulſi cōgialē plenam faciam tibi fideliam. Eodem modo quo Plinius congiarium cadum dixit. Fideliæ autem antiquorum qua forma fuerint, legiſſe me non memini : ſed fictiles & vitreas apud Columellam legimus.

Orca, vas Hiſpanicum Varroni, factū ad ſimilitudinē marinæ belluæ, quæ à Feſto orca dicitur. Perſius, Anguſtæ collo non fallier orcæ.
Fuit autem orca, vt ego quidē coniectare poſſum, vas vinarium, olearium, ſaliamentarium, & ſalgamariū. Quinetiam Feſtus vocat orcas ficarias teretes, atque vniformi ſpecie : quarum ratio non

ſua menſura, ſed ſua forma conſtat. Orcis adhuc hodie ſalſamentarij negotiatores vtuntur.

Diota, vas fictile, vtrinque anſatũ, aptiſſimũ ſeruando vino. Horat. lib. 1. Carm. -atque benignus
Deprome quadrimum Sabina
O Thaliarche merum diota.
Quibus verſibus adducor vt credam, diotam Sabinis in vſu fuiſſe ad vinum aſſeruandum in multos annos: quemadmodũ hodie in Hiſpania fieri ſolet. Ad quod munus propria etiam dolia picata habent.

Ciboriũ, vas vinariũ ad ſimilitudinẽ foliorũ colocaſiæ incuruatũ, & leue factum atque expolitũ. Horatius 2 Carminum,
Obliuioſo leuia maſſico
Ciboria exple.

Seria quoque formam certã vaſis denotat, non certam menſuram. Vas erat variæ capacitatis, ad multos vſus accommodatum, puto tamen oblongum fuiſſe, ex Columella multis in locis. Ac ſi nobis coniectari licet, & aliquid diuinando conſequi, ego putarim oblongas & fictiles ſerias fuiſſe, ceu vrnas quaſdam, in quibus aquam aſſeruabãt, donec pacatior fuiſſet: qui mos hodie quoque Romæ perdurat. Liuius, Et in vico Iſtrico fontem ſub terra tanta vi aquarum fluxiſſe, vt ſerias doliáque, quæ in eo loco erant, prouoluta velut impetus torrentis tulerit. Terentius, Serias omnes relcui. Inde ſeriola. Perſius 4,
Seriolæ veteris metuens deradere limum.

Vaſa aquaria.

INter vaſa aquaria non ſolum annumerabimus ea, quæ frigidam continere ſolent, & in quibus aqua geſtari, aut cum quibus hauriri aqua ſolet: ſed etiã ea in quibus aqua igni calefit.

Vrceus, cuius diminutiuũ vrceolus, vas aquarium: vt tamen vrceus eſſet ad frigidam, vrceolus ad calidam. Inde vrceoli miniſtratorij apud Martialem. Vrcei quoque ſunt ex iureconſulto, quibus aqua in æneum infunditur. B. Maniſternam Plautus vrceum aquarium vocat.

Ahenum autem vel æneum, *ung coquemart*, cucumam vulgus vocat, vas ad parandum aquæ calidæ potum. Horat 2. epiſt. -emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.
Miliarium quidam vocant, vt inquit Athenæus in tertio: cuius etiam meminit Palladius. nõnulli Græcorũ verborũ artifices ἰπνολέβητα appellarũt, & ἰπνολεβήτιον: Pollux ahenulum vocat. B.

Hydriam latinè vocamus vrnam aquariam, *une cruche*. Hydria etiamnũ vtebantur antiqui ad ferẽda colligẽdáque ſuffragia. [Cic. 4. Verr. Vt quot eſſent renũtiati, tot in hydriã ſortes cõijcerẽtur.] Eius etiã vſus erat ad colligendos cõtinendóſque mortuorum cineres. B.

Calpis Plutarcho in Marcello, idem quod hydria eſſe videtur. Herodotus item pro vaſe aquario ſumit.

Craterra Nonio vas hauriendæ aquæ propriũ:

nos ſitulam vocamus. Quo vocabulo etiam vtitur Plautus, Si hanc ſitulam accepero, omnem illi puteo animã intertraxero. Plin.lib.x.cap.43. de coruorum induſtria, Tradendum, inquit, putauere memoriæ quidam, viſum per ſitim lapides congerentem in ſitulam monumenti, in qua pluuia aqua durabat, ſed quæ attingi non poſſet: ita deſcendere pauentem expreſſiſſe tali congerie, quæ poturo ſufficeret. Huius autẽ eſt diminutiuũ ſitella: erátque vaſculũ in quo ſuffragia populi colligebãtur in creãdis magiſtratibus. Cic. pro Cornelio, Neque maius eſt legere codicem, quum intercedatur, quàm ſitellam ipſam cum ipſo interceſſore deferre. Niſi mauis legere ciſtellam, quod mihi ſanè commodius videretur.

Suturnium, vrceolus, ſeu guttus, ex quo aqua in pelluuium diſtillat, *ung goutteron, ung biberon.*

Pelluuium autem, vas eſt in quo pedes lauãtur, vel ex ipſius vocabuli indicatione, *ung baſſin a lauer les piedz.*

Malluuium quoque, vas patulum, in quo manus abluuntur, *ung baſſin a lauer les mains.*

Peluim nonnulli à pelluendo dictam putant: Varro à pedum lotione: Græci πέλκην καὶ πελίκα dicunt. Itaque verius à Græco deduci putabitur. Quinetiam vas illud in quo pocula lauantur, Græci ὁλκαῖον καὶ λουτήριον vocant. B.

Trulleum, vas quo manus perluuntur.

Trullã quoque vas fuiſſe aquarium, ex ære Corinthio fieri ſolitum, coniicitur ex Plinio lib.34. cap 2, Sunt ergo vaſa tantum Corinthia, quæ iſti elegantiores nunc æs ſculpendo trãſferunt modo

in lucernas,modò in trullas,nullo mũditiarũ reſpectu. Sed & trulla,vas eſt vinariũ ſic dictũ,quòd vſu teratur: vel,vt alij putauere, à tranſuolando, quòd per eã aqua tranſuolet. Iuuen.in tertia,Si trulla inuerſo crepitũ dedit aurea.De trulla quoque murrhyna loquit̃ Plini⁹ li.37.de T.Petronio.

Pollubrum, vas aquatile ad lauandas manus. Fabius pictor apud Nonium, Aquam manibus dato, pollubrum ſiniſtra manu teneto. Erat autẽ vtplurimum argenteum. Liuius, Argenteo pollubro,& aureo gutto. Quo ex loco dixerim guttũ eſſe vas illud quod nos vocamus *une eſguiere a biberon*:niſi mauis miſtarium appellare cũ Lucilio: ſed miſtarius geminas anſas habebat, & longus erat,quo aqua vino miſcebatur.

Chus,ſiue choa,*une eſguiere*, vaſis genus quo aqua fundebatur: ἀπὸ τοῦ χέειν, quod eſt fundere. Eſt & menſuræ genus humidorum apud Atticos, Romanum congium capiens, nempe ſex ſextarios,ſiue cotylas Atticas duodecim.

Phialas præterea vitreas,& aureas fuiſſe,cõijcitur ex multis authorũ variorũ locis: Græci φιάλην καὶ φιάλιον vocant. Fuerítne autẽ vas aquarium,an vinarium,dubium eſt: poculum tamẽ aureum fuiſſe Plinius affirmat lib.33. Nos tamen vitreum vulgo affirmamus eſſe vas, *une phiole*:Itali *car affim*,vocant.

Armillum, inquit Varro,vrceoli genus, quod armo ferebatur.

Amula, vaſculũ erat in quo ferebatur aqua luſtralis ad expiãda ſcelera:dictũ ab amoliẽdis peccatis,*ung benoiſtier*. hinc amuletum,diminutiuum,

remedium aduerſus inuidiam & veneficia.

Antlia, vas hauriēdis aquis idoneum. Martialis lib. 9, Curua laboratas antlia tollit aquas. Hinc verbum exantlare, exhaurire.

Solium, vas erat quo in thermis vel balneis lauabantur. Quod factū olim tanto ſumptu refert Liuius, vt mulieres ſolijs argenteis vterentur.

Colum niuarium, vas erat quo aqua ex niuibus colari ſolebat ad delicias Romanorum, vt æſtiuo tempore frigidius biberent. Martialis,

Attenuare niueis norunt & lintea noſtra:
 Frigidior colo non ſalit vnda tuo.

Itaque vtebantur etiam ſacco niuario, qui lineus erat, vt liquidius merum potarent: quale eſt illud quod vocamus *une eſtamine*. Nos hodie colo vtimur ad lac colādum: & eſt vas ligneum quod fundum linteum habet ſibi annexum: vulgus vocat *ung couloner*.

Vaſa olearia &

VNGVENTARIA.

VAſa olearia non ſolum appellabimus ea, in quibus oleum in cellis reponitur, vt cadi, vrnæ, & dolia olearia: ſed etiam ea in quibus oleum conſumitur in vſum noſtrū, vt lychni, lampades, & huiuſmodi: de quibus æquū eſt nunc vt diſſeramus.

Lechytus, pro ampulla olearia ſumitur in ſacroſanctis Bibliorum voluminibus, nempe lib. 3. Regum. Iulius autē Pollux in ſexto, λήκυτορ inter

vaſa vnguentaria annumerat. Atqui oleum inter vnguenta veteres poſuere, quādo nullum vnguentum optimum abſque oleo fieri videmus.

Alabaſter vel alabaſtrū, vas vnguentariū quod vel ex onychino marmore, vel alabaſtrite fieri ſolebat. Cic. lib. 2. Acad. Quæſt. Quibus etiā alabaſter plenus vnguenti patêre videtur. Mart. lib. 11, Quod Coſmi redolēt alabaſtra phocíque deorū. Idem etiam onychen eodem libro pro alabaſtro poſuiſſe videtur:

Profertur Coſmi nunc mihi ſuccus onyx.

Ampullas item conſimili ratione annumerat inter vaſa vnguentaria libro tertio:

Et Coſmianis ipſe fuſus ampullis.

Quarū formā deſcribit Plinius lib. 3. epiſt. Quibus non hians eſt, nec ſtatim patens exitus. Apuleius in Floridis ampullam oleariā vocat. Quòd autem turgida & ventroſa fuerit, id oſtendere videtur locus Horatij in Arte poetica, qui ampullas & ſeſquipedalia verba, pro turgentibus & grauibus ponit. Hinc ampullā dicimus in corpore illā cutis prominētiam & inflationem, quæ ex humore aqueo, vel etiam ſpirituoſo aliquo aere incluſo inter cutem & carnem eleuari ſolet. Suetonius in Domitiano pro vaſe vitreo accepiſſe videtur: Vt non temere, inquit, ſuper cœnam præter martianum malum, & modicam in ampulla potiunculam ſumeret.

Pixis quoque, *une boette*, pro vnguētario vaſe ligneo, & maxime buxeo ſumi videtur. Neſcio an pixides ſint ea vaſa, quæ Plutarchus in Ariſtide & Alexandro τοὺς κροσσοὺς vocat. olei quoque &

vnguenti croſſos, liberi adoleſcentes deferunt. Corneæ pyxidis meminit Plinius lib.21.cap.20.

Concha item pro vnguentario vaſe ab Horatio ponitur:

Funde capacibus vnguenta de conchis.

Lucerna, *une lampe*, vas in quo oleum conſumimus vt luceat, & ſplendorem emittat: Græci τηυ λαμπάδα, καὶ λύχνον, καὶ λύχνιον vocant. Hinc de Demoſthene dictum eſt, eius ſcripta lucernā olere. Fiebāt antiquitus lucernæ, quemadmodum etiā nunc apud nos, ex ære. Plin lib.34.cap.2, Sūt ergo vaſa tantum Corinthia, quæ iſti elegātiores nunc æs ſculpendo tranſferūt modo in lucernas, modo in trullas, nullo munditiarū reſpectu. Lucernam autem à lychno dictā contendit Seruius, vnde inquit, primam breuem habet. Iuuen.

Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Quòd autem oliuum lucernis imponere ſolerent antiqui, oſtendit locus Horatij: -vngor oliuo,

Non quo fundatis immundus nauta lucernis.

Lychnus, idē quod lucerna, cū tamen pro cādelabro accipere videatur. Virgili⁹ primo AEneid.

Dependent lychni laquearibus aureis.

Scirpus autem ille laneus, qui circunfuſus oleo & incenſus ardet in lychno, à Græcis ἐλλύχνιον appellatur, *la meche*.

Lychnuchi penſiles, *grās chandeliers, ou lāpes qui pendent aux eſgliſes*. Plin.lib.34.cap.3, Placuere & lychnuchi penſiles in delubris, arborū modo mala ferentium lucentes. Erāt enim maxima cādelabra ex ære Corinthio, vel AEginetico cōflata: cuiuſmodi hodie quoque in templis noſtris viſun-

tur, & in aulis principum.

Candelabrum, *ung chandelier*, à candelatum lumine nomen impoſitum habet, inquit Plinius. Fiebant autem ærea candelabra etiam apud antiquos, ſed Corinthio ære facta fuiſſe negat Plinius: quin potius AEginetico fiebant.

Vaſa culinaria.

SVpereſt nunc vt vaſorum culinariorum ſpecies ac formas explicemus. Vaſa autem culinaria, quæ & coquinaria Plinius vocat, ſunt ea quibus coquina vel culina referta eſt: aut quæ in culina reconduntur, nempe frixoria, & ea in quibus pultem & pulmenta, atque alia id genus cibaria decoquimus in vſum noſtrum.

Aula ſiue olla, vas fictile, vel etiam æneum ad pultem & olera coquenda, quod vel prouerbio manifeſtum fit. Catullus, Ipſa olera olla legit.

Iuuenalis ſatyra 14,

Et grandes fumabant pultibus ollæ. B.

Pultē autē (vt obiter illud dicā) vulgus vocat *de la puree*: pulmentū vero, *du potaige*: generale enim eſt ad multa. Cæterū ab olla diminutiuū fit ollula, ſiue, vt antiquis placuit, aulula, *ung potelet*. vnde Plauti comœdia nomē accepit, vt Aulularia diceretur, propter repertā à ſene auri plenā aululam.

Caccabus, Græcū eſt, ex Athenæo in quarto & Ariſtophanis Paraſito: illi enim κάκκαβον vocāt; vas autem eſt in quo pulmētaria ſuper ignem coquimus. B. Nomen traxiſſe quidam aiūt à ſono, quem ſupra ignem poſitus facit. Apitius, Ca-

pita porrorum ſimul elixabis in caccabo nouo,vt aqua ad tertium deferueat. Fiebant autem apud antiquos etiam argentei caccabi,vt videtur affirmare iuriſconſultus.

Patinam quoque inter culinaria vaſa annumerare videtur Paulus iurecōſultus:nam & eſcis coquendis,& etiam deferendis ſupra mēſam ſeruiebat, vt diximus in vaſis eſcarijs. qui mos hodie quoque Venetijs obſeruari à nobis viſus eſt.

Lebes,vas æneum aptum cornibus coquendis, aut etiam alijs rebus,*ung chauderon,ou une marmite*.quod vas quia profundum erat,ideo curuum ab Ouidio dicit:Fragiléſque cadi, curuíque lebetes. Idem,Viginti ſuluos operoſo ex ære lebetes. Hoc eſt,cælatos,vel ſigillatos, vt ſuprà diximus, & operibus ſculptis inſignes.Virg.
Ingens argentum,Dodonęóſque lebetas.Hoc eſt, ære Dodonæo conflatos, & factos. Erat autem Dodona,ciuitas Epiri,in qua conflabatur & repe riebatur æs optimum,admodum reſonās, ex quo etiam bracteæ æneæ fiebant : vnde prouerbium, AEre Dodonæo loquacior.

Tripus,*ung trepier*,ferreum quiddam,ſuper quo vaſa igni admouebātur. Tripos autem tripodis, menſa in templo Apollinis Delphici,cui ſuperponebantur cortinæ. Plin.lib.33, Tripodibus etiā donabātur fortes athletæ. Horatius lib.1.Carm. Donare tripodas,præmia fortium Graiorum.

Sartaginē Græci λοπάδα καὶ λοπάδιον vocāt. Nos vulgo Galli,vt opinor,*la poelle*,vt vocabuli Græci non leuiter preſſa veſtigia retinere videamur. B. Alij patellam vocant,ſed opinor,bar-

bare : nam patella quid ſit, ſuperius oſtendimus, cum de patina ageremus. Cæterum τήγανον Græci pro ſartagine accipere ſolent, nempe pro eo vaſe culinario, quod frixorium alij vocant: Itali *una friſſora*. vnde τηγανίζειν, frigere & coquere in ſartagine, vt opinor : atque hinc etiam Galen⁹ panes tiganitas vocat, in ſartagine coctos cum caſeo, oleo, & alijs admixtis, ad ſaporem cōciliandum: qualia ſunt ea, quæ à noſtris coquis in conuiuiorum apparatibus fieri ſolent, *des bignetz*: Itali vocāt *delle fritelle*. vnde etiam fritillæ à quibuſdam Latinis enuntiantur.

πύρανον πυρφόρον Pollux vocat, quam nos cauferetam dicimus, *une chaufferette*. ἀπὸ τοῦ καῦμα φέρειν, hoc eſt ab igne ferendo: eſt enim id vas in quo ignem recōdimus: ſuper quo diſcos eſcarios, & lances reponere ſolemus, etiam dum in menſa ſunt: vt iuſculum, vel etiam ipſa caro, aut ſiquid eſt aliud, calidum à nobis edatur.

Veru vel veruculum, *une broche*, inter culinaria inſtrumenta Pollux annumerat, appellátque ὀβελοὺς καὶ ὀβελισκοὺς. Virgilius,

Pars in fruſta ſecant, verubúſque trĕmētia figunt.

Plin. lib. 33, Ex eo ſublata veruculis ferreis, atque ipſa flamma conuoluitur veruculo, vt ſit modici ponderis. *une brochette de fer*.

Mortarium, *ung mortier*, vas lapideū, vel æneū, in quo aliquid contundimus, vel ad iuſcula faciēda, vel ad pulmēta condienda. Id autē quo quidpiam in mortario contundimus, piſtillum appellamus, *ung pilon*. Plautus in Aul. Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium, quæ vtenda vaſa vici-

ni rogant. Vnde aquam in mortario tundere, de inani & vana opera.

Pila, vas ligneum in quo antiqui frumentum contundebant & expicabant, vel etiam hordeum excorticabant ad ptiſanam conficiēdam. Plinius libro 18, Tundatur granum eius in pila lignea. Ea nunc vtuntur funarij noſtri ad canabem & linū expurgandum.

Segana etiā dicitur vas in quo aliquid teritur.

Salinum, *une ſaliere*, vaſculum in quo ſal reponitur ad menſæ vſum, aut ſacrificia. Horatius,

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum. Perſius,
Purum & ſine labe ſalinum.

Scaphis, vas culinarium Athenæo: Veneti adhuc vocant *una ſcafa*.

Scaphium, vas in quo excrementa colligebant, & corporis fæcem. Iuuenalis,

Et rude ſcaphium poſitis conſumitur armis.

σκάφιον Pollux vocat, vbi agit de neceſſarijs ad ſeceſſum: & mulierum erat, quemadmodum laſana & ἅμις virorum. Horatius laſanum vocat:

Te pueri laſanum portantes, œnophorúmque.

Scaphijs autem argenteis antiqui vtebantur, vt & hodie viri Galliarū primarij: quin & aureis vaſis ventris onus excipiebant, quod de Heliogabalo imperatore refertur. Athenæus tamen in quarto, ſcaphiū inter vaſa, vel potoria, vel eſcaria adſcribit, niſi me fallit memoria. B. Lucretius quoque libro ſexto pro quolibet vaſe lati orificij ſumit:

Et ramenta ſimul ferri furere intus ahenis
In ſcaphijs. Vitru. In eóque collocetur circiter

ſolis occaſum, ſcaphium æreum, aut plumbeum, vt peluis.

Matella, vas vrinarium, à Græcis οὐρήνη, vnde nos vocauimus *ung urinal*. Iulius Pollux ἐνουρήθραν vocat. Martialis in 2,

Matella curto rupta latere meiebat.

Matellam autem crepitu digitorum poſcebāt veteres, vnde iocus Martialis in Paneretum. B. Mattellionē Tullius in Paradoxis vocat, Quid enim cenſes, ſi L. Mummius aliquem iſtorum videret, matellionem Corinthium cupidiſſime tractantē, &c. Matellionem Corinthium dixit, ex ære Corinthio factum. Varro, Poſtularet trulleū, matellionem, peluim.

Coculum M. Catoni, vas eſt æneum aptum coctionibus. Plautus, AEneis coculis excocta eſt mihi omnis materia. Plura, ſi quis inuenerit, huic ordini adſcribat. Ego verò tātum ea quæ inter legēdum occurrerūt, ex bonis authoribus congeſſi.

Vaſa viminea.

FEre opuſculum clauſeram, cum mihi in mētem venit vimineorum, quæ ſanè poſt vaſa lignea exprimere fortaſſis cōmodius fuiſſet: ſed quando etiam hic locus nos ad eorum explicationem inuitat, ſimul omnia docebimus.

Vimē igitur erit omne virgultū molle, & ad ligandum aptum: quales ſunt virgæ populi, vlmi, & betulæ, & ſanguineorū fruticum, atque etiam coryli & ſalicis, quæ præcipui ſunt ad vaſa vſus.

vnde lentum vimen vocauit Virgilius lib.3: hoc eſt, flexile, & in quanuis partem ductile. Huiuſcemodi itaque vimine fiebant vaſa ad multa vtilia, vt ad colligendas dapes è menſa: præterea etiam ad muliercularum linteola recondenda: quæ omnia, vaſa viminea dicebantur.

Calathus, muliercularum vas fuit, in quo ſuos fuſos, aut etiã violas reponere ſolebãt. Virgilius,
-non illa colo, calathíſve Mineruæ
Fœminea aſſueta manus. Idem in Bucol.
-tibi lilia plenis Ecce ferunt nymphæ calathis.
Cuius diminutiuum eſt calathiſcus, pro eodem. Politianus in Ruſco, Aut ciſta exportant, aut raſilibus calathiſcis.

Ciſta autem, quantum ego conijcere poſſum, viminea etiam fuit: erátque vas ſatis amplum, in quo multa aſſeruabant. Iuuenalis,
Iamque vetus Græcos ſeruabat ciſta libellos.
Itali adhuc vocabulum integrum retinent. Hinc ciſtifer, *ung porte pennier*. Martialis in 5, Nupſiſti Gellia ciſtifero.

Ciſtella pro eodem. Cicero tamen pro eo vaſe ſumere videtur, in quo ſuffragia colligebãtur: pro Cornelio Balbo, Neque maius eſt legere codicem cui intercedatur, quàm ciſtellam ipſam cum ipſo interceſſore deferre. Quo loco quidam corruptè, ni fallor, ſitellam legunt. Cicero, aut quicunque fuerit, qui libros conſcripſit ad Herennium, Saturnius, inquit, legem ferre cœpit: collegæ intercedere: ille nihilominus ciſtellam detulit.

Caniſtrum ſeu caniſter, vas amplũ, viminibus contextum, in quo fructus recondebantur: atque

afferri in honorem ſolebant ab ipſis agricolis,ſeu etiam mulierculis.Ouid.lib.3.Metamorph.

Prunáque,& in patulis redolentia mala caniſtris.

Sporta ſiue ſportula,caniſtro nõ erat diſſimilis: ſed in aliũ vſum:nempe eũ cui noſtrã corbem ap plicare ſolemus,*une corbeille*.Salluſt.in Iugurtha, Et muris canes ſportis demittebant. Veneti ſportulas & ſportas hodie vocant, viminea quædam vtrinque anſata & plicabilia:quales ſunt ficuũ ca lathiſci,*cabatz des figues*,vt vna manu deferri poſ ſint:quibus vtuntur ad carnes & eſcas alias deferendas,quas è foro domum aſportant.

Sportulam præterea Romani pro eo nummo accipiebant,qui togatis dabatur cum obſonio(vt inquit Suetonius)à potẽtioribus,vt deducerentur & reducerẽtur per vrbẽ incedẽtes:valebat autem centũ quadrantes:quadrãs vero erat qui nũc Ro mæ vocatur *quadrin*,vel *quatrin*.nos,*ung tournoys*. vide Bayſium cap.9.de re veſt.& Budæum in lib. de Aſſe.De huiuſcemodi autẽ ſportula, Iuuenalis Satyra prima, -nunc ſportula primo

Limine parua ſedet,turbæ rapienda togatæ.

Aſconius tamen,Sportæ,inquit,ſportulæ,& ſportellæ,nummorum ſunt receptacula.

Quallus,vas vimineũ per quod vinum è prælo guttatim defluit, quod etiam colum appellat Virgilius: -tu ſpiſſo vimine quallos

Colláque prælorum fumoſis diripe tectis.

Picti etiamnum qualli dicũtur ciſtellæ in quibus mulierculæ fuſos ſuos reponere ſolent.Pontanus,

Vidit ea pictos melius contexere quallos.

Picti autem dicuntur, aut quòd viminibus rubris

atque albis intertexti appareant:aut quòd etiam iiſdem verſicoloribus viminibus quædã ceu auiũ aut ferarum formæ depictæ videantur, quemadmodum Venetijs quoque nunc videri ſolet.

Fiſcina,vaſculum virgulteum,è quo lac colatur dum caſeus imprimitur,*une eſcliſſe*:vimineum autem erat,aut iunco textum. Virgilius in Coppa, -cõtextáque cannis Fiſcina lacte madens. Theocritus τάλαρον appellat. In eandem quoque ſignificationem ponitur fiſcella. Virgilius,

Et gracili fiſcellam texit hibiſco

Hibiſcũ autem,vt id etiam dicamus, vocat virgas oblongas, quæ detractis ex althæa, hoc eſt biſmalua,*guimauue*, folijs curuari ſolent,& in fiſcellarum cõtextum applicari. Nam & hibiſcum ſiue ebiſcũ,althæam appellari contẽdit Dioſcorides.

Corbis,vas vimineum quo meſſores vtebãtur. Cic. pro Sextio, Meſſoria ſe corbe contexit. Propertius libro 4,

Corbis in impoſito pondere meſſor eram.

Plautus,Geritote amicis noſtris aurum corbibus.

Corbis pabulatoria,in qua pabula ad equos vel armenta reponuntur. Columella,Si grano abſtinemus,frondis aridæ corbis pabulatoria modiorum viginti ſufficit : quemadmodum meſſoriam corbem prius dixit Cicero.

Huius diminutiuum corbula,*une corbeille*,apud Columellã li.12.ca.50, & Plautum in Aulularia. Varro quoque de re ruſt.lib.1.cap. 15, Cogit aliquot corbulas vuarũ,& frondem iucundiſſimam miniſtrat ouibus. Quinetiam, corbulas Amerinas dixit Cato,ex ſalice Amerina cõtextas: iuxta

enim Ameriam Vmbriæ vrbem ſalices præſtantiſſimæ creſcere ſolebant.

Panarium, vas vimineũ, quo panes deferuntur ad menſam, qui mos adhuc hodie in pleriſque Italiæ locis perdurat. Stathius,

Hi panaria, candidáſque mappas
Subnectant, epuláſque lautiores.

Suetonius in Caligula, Sparſit & miſſilia variarũ rerum, & panaria cum obſonio viritim diuiſit.

Panariolum pro eodem. Martialis,

Cum panariolis tribus redíſti.

Vannus, fœmininũ, vas latũ in cõchæ formã cõtextũ, quo frumẽti & auenæ paleę expurgant. Columella, Ipſæ autẽ ſpicæ melius fuſtibus tũdũtur, vãnis expurgãtur. nõnuli cribrũ cereale vocant.

Cophinus, quem Græci *κόφινον* dicũt, nos *ung cophin*, (Priſcianus corbẽ interpretatur) à leuitate dictus eſt: ſignificátque apud nos, tum vas ipſum vimineũ, tum etiam menſurã ipſam vel frumenti, vel auenæ, aut alterius rei. Iuuenalis Saty. 6,

Cum dedit ille locum cophino, fœnóque relicto.

Columella lib. 11. cap. 3, Confecta bruma ſtercoratam terram inditam cophinis obſerat.

Cumera (inquit Acron) vas ingens vimineũ vel fictile, in quo frumenta conduntur. Modo dicitur vas quod capit quinque vel ſex modios, quod lingua Sabina trimodium vocatur. Horat. in Serm.

Cur tua plus cumeris laudes granaria noſtris.

Cumerum (inquit Feſtus) vas nuptiale, à cumerarum ſimilitudine, quæ fiũt palma vel ſparto ad vſum popularem.

Infinita pene alia ſuut vaſculorum genera, quæ

hic à nobis non enumerantur hoc loco: neque enim, vt verum fateamur, nobis Latina omnia nomina, nedũ Græca ipſa vocabula ſunt vſqueadeo comperta, vt de ijs ſtatuere quidquam poſſimus: Sed neque id quidem velimus Lector, vt quæcũque præter Bayſij aut Budæi iudiciũ à nobis poſita ſunt, ea omnia arcana eſſe credas, niſi tibi exẽpla faciant ſatis. quòd ſi id quidẽ minus fecerint, nihil eſt in hoc libello, quod non tuo & eruditorum omnium iudicio ſubiaceat.

INDEX LATINARVM ET GALLIcarum dictionum, quæ in hoc libello paſſim conſperſæ & declaratæ inueniuntur.

A

æs AEgineticum 14
AEneum 41
Ahena 14
Ahenum 41
Ahenulum 41
Alabaſter 45
Alabaſtrites lapis 23
Albaſtre 23
Amphicypellum 33
Amphithetum 31
ex Amphitheto bibiſti 32
Amphora 35
Ampullæ 45
Amula 43
Antlia 44
Armilla 43
Artolagani 25
Aſyntheta 20
Aſſiettes 27
Aualler 5
Aula 47
Aureæ cruſtæ 10
Aureus guttus 9

B

Baſſin a lauer les mains 42
Baſſin a lauer les piedz 42
Benoiſtier 43
Betula 18
Bignetz 49
Boeſſeau 37
Boette 45
Bouleau 18
Bouteille 33
Bractearij 6
Broche 49
Brochus 35
Buffet 6
Burin 7

C

Cabatz de figues 53
Caccabus 47
Cadus 34
Cælata vaſa 7
Cælum 7
Calathus 32. 52
Calathiſcus 52
Calathiſci ficuum 53
Calice 30
Calices fictiles 31
Calices vitrei 20
Calix 30
Calpis 41

Candelabrum 47
Caniſter 53
Caniſtrum 52
Cantharus 33
Capedines 31
Capedunculæ 31
Caque 34
Carcheſium 32
Caſſiterina vaſa 17
Caſſiteron 17
Catinus 25
Chandelier 37
Chauderon 13.45
Chauferette 49
Cheopina 38
Chœnix 37
Chopine 38
Chryſendeta 11
Chus 43
Ciborium 40
Cirnea 34
Ciſſimbium 19
Ciſta 52
Ciſtella 52
Ciſtifer 52
Claré 25
Coculum 51
Colum niuarium 44
Concha 46
Congius 34
Conuiuialia vaſa 9
Cophin 55
Cophinus 55
Coquemart 41
Corbeille 53.54
Corbis 54
Corbula 54
æs Corinthium 14
Coulouer 44
Couppe 29
Couppe dargent 12
Couppe dor 9
Crater 33
Craterra 41
Cruche 41
Cruche de beauuais 33
Cruſta 11
Cruſtata vaſa 11
Cruſtularij 11
Cryſtallum 20
Culeus 37.38
Culigna 33
Cululli 32
Cumera 56
Cupa 22.36.37
Cuprum 16
Cuue 36
Cyathiſſo 30
Cyathus 29.30
Cybium 37
Cylindri 32
Cymbia 32

Cymbium 32
Cypellum 23
Cyphus 29
æs Cyprium 14.15
D
Deliaca ſupellex 14
æs Deliacum 14
Demy boeſſeau 37
Demy ſeſtier 38
Diota 40
Diſcus 27
ære Dodoneo loquacior 45
Dolia 36
Dolia picata 37
Dolia ventroſa 37
E
Effictores 24
Efformatores 24
Ellychnion 46
Emblema 10
Entree de table 25
Eſcliſſe 54
Eſcuelle 28
Eſguiere 43
Eſtamine 44
Exantlare 44
F
Fagus 18
Ferculum 26
Fictilia 24
Fidelia 39
Fillette 39
Fiſcina 54
Frixorium 49
G
Gabatæ 28
Gaſteaulx fueilletez 25
Goutteron 42
Guttus 32
H
Hanap 33
Haurire 5.9
Hemixeſtes 38
Hibiſcum 54
Humer 5
Hydria 41
Hydriæ argenteæ 10
I
Inauratores 6
Incruſtare 11
Incruſtata vaſa 10
L
Labra ahena 15
Labra lupinaria 23
Labrum 23
Lagena 33
Lampe 46
Lanx 25
Lanx argenteus 13
Lãces chryſẽdetæ 11.26
Lebes 45

Lechytus 44
Lintre 36
Lucanicæ 25
Lucerna 46
Lychnus 46
Lychnuchi 46

M

Magis, magidis 26
Maiorica 24
Malluuium 42
Marmite 45
Matella 51
Matellio 14.51
la Meche 46
Medimnus 37
Mentor 7
Menaſge darain 14
Miſtarius 43
Modius 37
Modiolus 31
Mortaria lapidea 23
Mortarium 49
Mortier 50
Mortier de cuyure 50
Murrhinum 21
Murrhina pocula 21
Murrhina vaſa 21
Muy 37

O

Obſonator 26
Obſonium 26
OEnophorum 35
Olla 47
Ollæ iuſculariæ 16
Ollula 47
Oleæ 25
Oliues 25
Onyx 22
Orbateurs 6
Orbes 27
Orca 39

P

Panarium 55
Panes tiganitæ 49
Paramentum 10
Paropſis 27
Patella 27.49
Patera 30
Patera aurea 9
Patina 26.45
Peluis 42
Pelluuium 42
Phiala 43
Phiole 43
Pila 50
Pilon 49
Pincernæ 30
Pinta 38
Pinte 38
Pippe 38
Piſtillum 50
Pityna 38

Plat 25
Plat creux 26
Plat dargent 13
Poalle 49
Pocula 28
Poculum aureum 9
Pollubrum 43
Porte pennier 52
Pot de cuyure 15
Pot de trois chopines 39
Potaige 47
Potelet 47
Potiers de terre 23
Potz a ſouppe 16
Potz de beauuais 24
Potz de terre 24
Promulſis 25
Pulmentarium 47
Puls 47
Puree 47
Pyxis 45

Q

Quadræ 27
Quadrantal 37
Quallus 53
Quartarium 39
Quarte 39

R

Repoſitoria argentata 13
Rudia vaſa 12

S

Saliere 50
Salinum 50
Sartago 49
Scaphia argentea 13
Scaphis 50
Scaphium 50.51
Scutula 28
Scyphus 29
Scyphus argenteus 12
Scyphi ſigillati 11
Segana 50
Semis, ſemiſſis 39
Seriæ 40
Seſtier de uin 35
Sextarium 35
Sigilla 11
Sigillata vaſa 11
Signa Corinthia 11
Solium 23.44
Solium argenteum 13
Species æris 14
Sporta 53
Stannum 16
Suturnium 42
Sympullum 31

T

Taillouers 27
Taſſe 30
Taſſe dor 9
Tertiarium 39

Tinne 23
Tinne de cuyure 15
Toreumata 7
Toreutice 7
Tornatile buxum 18
Tornus 7
Tournouer 7
Trepier 45
Tripos, Tripus 45
Trulla 42.43
Trulleum 42

V

Vannus 55
Vaiſſeau 5
Vaiſſeaulx de bois 18
Vaiſſeaulx de fonte 15
Vaiſſeaulx entaillez 10
Vaiſſeaulx ouurez 7
Vaiſſelle dairain 13
Vaiſſelle dargent 12
Vaiſſelle deſtain 16
Vaiſſelet 6
Vas 5
Vas cupreum 15
Vas vnguentarium 23
Vaſa ærea 13
Vaſa ænea 14
Vaſa ahena 14
Vaſa alabaſtrina 23
Vaſa ἀνάγλυφα 11.12
Vaſa aquaria 41
Vaſa Aretina 24
Vaſa argentea 12
Vaſa aurea 8.9
Vaſa Bellouaca 24
Vaſa betulina 18
Vaſa cælata 10
Vaſa conflatilia 15
Vaſa coquinaria 13
Vaſa Corinthia 11
Vaſa cryſtallina 19.20
Vaſa culinaria 47
Vaſa Deliaca 14
Vaſa eſcaria 24
Vaſa fictilia 23
Vaſa hæderacea 18
Vaſa lapidea 22
Vaſa lignea 18
Vaſa murrhina 21
Vaſa olearia 44
Vaſa plumbea 17
Vaſa potoria 19.28
Vaſa promulſidiaria 25
Vaſa pura 11
Vaſa Samia 24
Vaſa ſtannea 16
Vaſa viminea 51
Vaſa vinaria 34.51
Vaſa vitrea 19
Vaſorum appellationes variæ 8
Vaſarium 6

Vaſcularius 6
Vaſculum 6
Veru 49
Veruculum 49
Vimen 51
Vitra ſilicea 19
Vrceus 41
Vrceolus 41
Vrinal 51
Vrna 35.36

EXCVDEBAT ROB. STEPHANVS
PARISIIS, ANN. M.D.XXXVI.
XV. CAL. IVNII.

533-627

pcc.

56 91 pp.
cc
JL 11/96

15957